



DE  
ORIGINE ET IVRE  
COLLECTARVM PROVINCIALIVM  
AD ELOCANDAS FILIAS  
ILLVSTRES

LXXVIII.  
LXXVII

164  
25

1790, 1.

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CAPESSENDIS

DIE XXIII. FEBRVARII MDCCCXC.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBICIT

ANDREAS BERNHARD CARL WIESE  
ROSTOCHIENSIS.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.



Handwritten scribbles in the top left corner, possibly including the number '1777'.

DE  
ORIGINE ET IURE  
COLLECTARVM PROVINCIARVM

AD ELECTORATVS SACCHE  
ILLVSTRIS  
DISSELTIO IN AUSTRIAS

ILLVSTRIS IURECONSVLTVM ORDINIS  
AVTORITATE

AVTORITATE  
ANDREAS BERNHARD CARL



## POSITIONES.

---

- I.) *Non dantur actiones ex realibus et personalibus mixtae.*
- II.) *Cautio Muciana et in conditionibus affirmatiuis locum habet.*
- III.) *Poenitentia in contractu innominato do ut des, do ut facias adhuc hodie obtinet.*
- IV.) *Valet pactum in fauorem tertii.*
- V.) *Falsa est regula, quod affirmanti incumbat probatio.*
- VI.) *Fideiussor in maius non obligatur.*
- VII.) *Differunt adhuc hodie fideiussio et constitutum.*
- VIII.) *Actio pignoratitia aduersus tertium possessorem competit.*
- IX.)

IX.) *Emtor rei singularis, qui in b. f. est, ad restituendum lucrum, quod ex re rursus vendita accepit, etiam eo in casu, quo verus dominus rem vindicare nequit, cogi non potest.*






DISSERTATIO INAUGVRALIS  
DE  
ORIGINE ET IVRE COLLECTARVM  
PROVINCIALIVM AD ELOCANDAS FILIAS  
ILLVSTRES.

---

§. I.

Meditanti subinde mihi quodnam argumentum  
dissertationem inauguralem scripturus eli-  
gerem, placuit tandem, meditationes quasdam de iure col-  
lectarum ad elocandas filias illustres proponere, inprimisque  
huius iuris origines inuestigare. Equidem non desunt alio-  
rum



rum de hoc themate scripta <sup>a)</sup>, repetitam tamen illius tra-  
 ctationem non plane inutilem censeo, quum alios exemplis  
 plus pretii, quam par est, statuisse, alios contra decisionis  
 fundamenta ex iure romano, quod in hac quaestione deci-  
 denda parum utilitatis praestat, anxie conquisivisse, intel-  
 lexi. Consilium firmavit effatum ICri cuiusdam anonymi <sup>b)</sup>,  
 eam iuris publici territorialis partem, qui collectas extraor-  
 dinarias tractat, vberiori adhuc discussione indigere, existi-  
 mantis. Et quamvis ipse perspiciam, complura adhuc in  
 his meditationibus desideratum iri: excusationem tamen  
 facile me impetraturum confido, quod necessitate scribendi  
 inuitatus, symbolam quandam ad explicandam hanc iuris  
 priuati

<sup>a)</sup> I. S. FÜTTERI Litteratur des deutschen Staatsrechts, Pars III.  
 pag. 362. §. 1140. et pag. 773. §. 1546. Conf. I. I. MOSER  
 teutsches Staatsrecht, P. XIX. cap. 106. Sect. I. et P. XX.  
 cap. 106. Sect. 2. 3. et 4.

<sup>b)</sup> Allgemeine Literatur-Zeitung, Jahrg. 1788. Num. 169 a, pag.  
 133. in qua verba; *usni mensurislib*  
 „der Punkt des Territorial Staatsrechts liegt unverdienter Weise  
 „noch im Dunkeln, nämlich die Befugniss des Landesherrn, in  
 „gewissen Fällen, unverweigerliche Steuern oder Hülfen, von  
 „seinen Unterthanen zu fordern. — — In Teutschland rech-  
 „nete man Fräuleinsteuer in weiterem Verstande, Ranzion des  
 „Fürsten, und solche Nothfälle ursprünglich dazu.“






privati principum quaestionem, e iuris publici principiis diu-  
dicandam c), conferre non dubitauerim.

§. 2.

Quodsi ad ius publicum vniuersale respicere velis, pauca  
sunt generaliaque, quae ex eius principiis deriuari possunt.  
Securitas, tranquillitas et conseruatio reipublicae, et splendor  
personarum imperantium, quo commode carere nequeunt,  
non nisi sumtibus pecuniariis dispensantur. Quoties his  
impensis reditus reipublicae ordinarii haud sufficiunt, toties  
iure suo exigit suprema potestas, vt populus ad promouen-  
dam reipublicae salutem defectum suppleat. Concipi haud  
potest bene constituta conseruandaque respublica, quae  
ciuium suorum auxiliis haud indigeret d); omnesque partem  
bonorum exigua lubenter expendunt, vt reliqua secure  
fruan-

c) SCHNAUBERT fortgesetzte iuristische Bibliothek, vornämlich des  
deutschen Staats- und Kirchenrechts, Jena 1789. B. I. St. I.  
pag. 13.

d) STRUBEN Nebenstunden; P. I. Abh. IV. pag. 489. SCHEID-  
MANTER Staatsrecht nach der Vernunft, und den Sitten der  
vornehmsten Völker betrachtet; P. II. §. 269.



fruantur e). Maximo itaque iure tributa imponuntur, exi-  
gente id publica necessitate f) et societatis sine g).

### §. 3.

Conuenit cum his argumentis iuris publici vniuersalis  
prioris aevi historia, quae subditos collectis, iisdemue simi-  
libus praestationibus, semper et vbiq̄ue obnoxios fuisse  
testatur. Testimonium tale iam exhibet TACITVS de mor.  
Germ. cap. XV.: — »mos est ciuitatibus vltro ac viritum  
»conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod  
»pro honore acceptum, etiam necessitatibus subuenit. —<sup>a</sup>

Quod admodum memorabile videbitur, si perpendas,  
arctis tum temporis limitibus circumscriptam fuisse princi-  
pum pompam, maioresque nostros summam semper spirasse  
libertatem. Me quidem non fugit, hanc TACITI narratio-  
tionem explicari de principe ex optimatibus electo, gratui-  
tisque

e) MONTESQUIEU esprit des loix, Tome II, liure 13. chap. 1.

f) BECCARIA dei delitti e delle pene, Arlem 1766. §. 2.

g) MOSER von der Landeshoheit in Steuerfachen, Cop. I, §. 9. DE  
LVDOLFF in symph. consult. for. Tom. I, conf. 6. pag. 153.

isque subditorum muneribus sustentato <sup>1)</sup> : nam hac etiam interpretatione admiffa, nihil fecius testimonium haud adspernaberis, clare huiusmodi praestationes TACITI saeculo iam obuenientes demonstrans.

Subacta sequenti aetate Germania Francorum victimis armis, complura collectarum genera innotuerunt, v. c. telonea ad opera publica exstruenda reficiendaque <sup>2)</sup>, quorum in capitularibus regum Francorum fit mentio <sup>3)</sup>; tributa bellicarum expeditionum causa comitibus et aduocatis soluenda, et tractoria a missis regis efflagitari solita. Maxime quidem pensitationes istae, homines haud ingenuos vexarunt <sup>4)</sup>; ingenui enim seruitia militaria praestantes, a censibus aliisque tributis plerumque immunes habebantur <sup>5)</sup>, nisi

1) ANT. LUDOV. SELP. diss. de libertate statuum provincialium, circa dotationem filiarum illustrium, potissimum appannagiatorum, Ger-

tingae 1747. Sect. V. §. 4.


2) GRYPEN discept. forenses cum obseruat. obs. IV. §. 6. pag. m. 900.

3) Capitulare CAROLI M. ad a. 805. c. 2, c. 13. apud GEORGISCH corp. iur. Germ. pag. 699. et cap. 3. eiusdem anni c. 15. GEOR-

J. ET. EISCH. c. 1. pag. 706.

4) STRUBEN de iure villicor. cap. 6. §. 2.

5) STRUBEN c. l. c. 6. §. 1. et 2.



nisi heribannum componerent\*\*), et castra sequi nollent. Ne clericos quidem ipsaque monasteria, ab eiusmodi exactionibus immunes fuisse m), abunde probant documenta posterioris aevi immunitatem a censibus lris tribuentia, frequentesque de modo harum praestationum cum aduocatis contestationes n). Quin et decimae episcopo soluendae, seu pontificalia tributa o), quibus verisimiliter et ingenui obnoxii fuerunt, exemplum praebent.

Stabilita postmodum superioritate principum territoriali, subditorum praestationes initio quidem minuebantur, liberalitatisque speciem aut nomen adhuc retinebant, nunquam tamen penitus cessauerunt: principes comitesque nunc imperio ciuili potiti, quos antea vi officii census imposuerant, nunc in proprium commodum continuabant.

§. 4.

\*\*) SCHILTERI Com. ad ius feudale alem, ad cap. 7. §. 3. pag. m. 153.

m) GRYPEN c. I. §. 10. pag. 921. STRVBEN de collectar. et aerar. provinc. origine, in observ. Obf. III. §. 4.

n) CALETTI Geschichte Teutschlands in der allgem. Welthist. Part. 53. Lib. 2. Sect. 2. §. 10. GRYPEN c. I. §. 9.

o) F. A. RYDLOFF pragm. Handbuch der mecklenburg. Gesch. Th. I. pag. 51. et 74.

Poeta Saxo ad a. 803. apud LEIBNIT. Tom. I. rerum Brunsv. pag. 153.

§. 4.

Opinantur quidem nonnulli 2), collectas tum demum subditis esse imperatas, quum bona principum exhausta oppignorataque essent, huiusque immutationis causam in aularum splendore indies aucto, et rei militaris incremento recte quaerunt. Tum demum ad stipendia militum, salariaque ministrorum subsidia a subditis desiderata esse, nec ante seculum XVI. collectas indictas fuisse, domaniis principum ad publicas privatasque impensas suppetentibus; et si quae rarius commemorantur tributa et onera, ingenuos ab iis immunes fuisse, contendunt.

Suffragari autem non possum huic opinioni quondam communi, quae cum iure publico mediæ aevi, nunc a pluribus ex limpidissimis historiae fontibus explicato, conciliari nequit. Confundunt origines collectarum provincialium 3), cum

2) Ex pluribus nomino D. N. KEMMERICH diss. de iure collectarum provincialium, Jenae 1732. §. 6. I. D. KOELER diss. de origine et incrementis iurium et privilegiorum nobilitatis mecklenburgicae, Göttingae 1739. §. 15. pag. m. 34.

G. M. LVDOLFF var. Obs. for. Obs. 107. nota I.

3) E. I. DE WESTPHALEN mon. ined. rer. germ. Tom. II. praef. pag. 66. nota n. et in specimine document. ined. Meclenb. Rostochii 1726. pag. 64. ibiq. alleg.



cum ipsarum incrementis; quod, ne a tramite nimis deuiant, paucis ostendere liceat. Errori ansam dedit incongrua scriptorum medii aevi interpretatio <sup>r)</sup>, et quum relatum legerent, in compluribus Germaniae regionibus, ordines provinciales, Saeculo XVI. bonis principum fiscalibus magno aere alieno obrutis, in subsidium vocatos, consuluisse sibi recessibus provincialibus, pactisque cum principe ad conservanda iura sua, introducto milite mercenario paulatim vacillantia, initis <sup>r)</sup>, et in his legibus fundamentalibus primas potissimum principis ordinumque provincialium, de modo collectarum deprehenderent conventiones scriptas, incauti satis concludebant, ipsas collectas his legibus primum introductas esse.

Contrarium docet quaevis monumentorum medii aevi collectio. Vnicum, quod primum se offert, exemplum adiicio sat memorabile, quod P. W. GERCKEN in *diplomatario veteris Marchiae, Tom. I. pag. 15.* suppeditat. Inuenies ibi concordatum Marchionum Brandenburgensium cum Vasal-

r) GREGOR. TYRON. Lib. VII. c. 15.

HELMOLDI chron. Slav. Lib. I. c. 15.

r) PÜTTER Beyträge zum Teutschen Staats- und Fürstentum, Abb. VI. pag. 127. seq.



Vasallis veteris Marchiae a 1281 initum, cuius verba huc pertinentia sunt: — „iste census nomine precarie perheantiter dandus de manso, — — solidum dare perpetuo tenentur — — huiusmodi census erit sempiternus.“ —

En exemplum dilucidum <sup>z)</sup>, cui multa alia addi possunt, tributorum perpetuorum, eodem fere tempore, quo superioritatis territorialis <sup>u)</sup> prima occurrunt stamina, inventorum.

III Ipsae harum collectarum denominationes diversae antiquiorem testantur originem. Sic censibus confagitationibusque in vernacula lingua quondam SCHATT, SCHATTUNGE dictis, praebant precariae BEDEN <sup>w)</sup>, urgente necessitate extra ordinem, titulo oblationis spontaneae a sub-

<sup>z)</sup> v. SELCHOW iuristische Bibliothek, Band II. pag. 331.

<sup>u)</sup> FÜTTER, c. 1. pag. 118. I. F. ROENNBERG gemeinnützige Notiz vom kaiserlichem Privilegio de non appellando, P. I. Abh. 2. Cap. 3.

<sup>w)</sup> Etymologia vocis *Bede* non liquet, DE WESTPHALEN mon. ined. Tom. II. praef. pag. 66. et in tract. de conf. ex sacco et libr. pag. 517. illam a terra, Gebiet, deducit, alii a precibus derivant. KOEHLER c. diss. §. 15. STRYVEN Nebeast. Tom. 2. Abh. 9. §. 2. quorum sententiam praefere.



ditis vasallisque erogatae. Postea quum erogationes istae, primum voluntariae et non nisi datis litteris reuerfalibus de non praeiudicando impetratae, indolem mutarent, et inuitis obruderentur, nomina census et precariae, cuius significatus primarius rei non amplius conueniebat \*) , in diploma-ribus promiscue †) vfitata sunt: et egregie falluntur, qui ex sensu vocis etymologico sententiam deriuant, in medio aeuo quidem adfuisse collectas, ast semper precario datas ‡).

Aliud argumentum suppeditat distinctio seculo XIII. et XIV. iam cognita, inter bedas maiores et minores, quibus mox mediae accessere §), aliaeque denominationes, quae multiplicationem harum praestationum pedetentim adhibitam testantur. Rem adiuuit conditio vasallorum, qui lubenter onus hominibus seruilis conditionis rus colentibus imponi sinebant, modo ipsi eorumque mansi, ab omni praestatione

\*) WACHTERI gloss. voce. Bede.

†) GERCKEN diplom. ver. Marchiae in der Anmerkung pag. 20.

‡) Plures tum dabantur species praestatione n, v. c. Sysse, Tollen, Tynse. NOTHO in Chron. Brunsv. picturato, ad an. 1314. apud LEIBNIT. script. rerum Brunsv. Tom. 3. pag. 374. cf. STRAVEN Obs. 3. pag. 92.

§) DE WESTERHALEN mos. ined. Tom. IV. praef. pag. 88. nota III.



statione immunes haberentur *b*); quin ipsi a rusticis exigebant, quicquid vellent, quod principes parum curabant *c*);

Mentionem adhuc breuibus facere liceat, precariae antiquae, intuitu fundorum terrarumque annuatim exsoluatae, quae simplex etiam precaria vocatur, et in vim oneris realis agris aedificiisque imposita erat, cui originem debere videtur, annua solutio census fundarii seu dominici, cuius quantitatem in plerisque Germaniae prouinciis adhuc hodie numerus agrorum et aedium definit *d*). Ab hac precaria antiqua, ratione temporis, non multum differre arbitror aliam collectarum speciem, ab inhabitatoribus urbium persolendam *e*), quae in Megapoli et Pomerania *VHRBOER* *f*), alibi vero *Grundzins* dicitur, et a scriptoribus quibus-

*b*) PÜTTER etwas zur vorläufigen Uebersicht des teutschen Staatsrechts der mittleren Zeiten, pag. 16. Th. I. num. II. 2. a.

*c*) MYRATORI antiquit. Italiae mediæ aevi, Tom. II. pag. 102.

*d*) DE WESTPHALEN, c. I. pag. 93. in fine, nota o.

*e*) STRYBEN Observ. Obs. III. §. 2. et 3.

*f*) DAV. MEVIVS delineatio der pommerschen Landesverfassung, cap. 19. Apud PISTORIUM in amoenitat. histor. iurid. P. IV.

pag. 1013.

DE WESTPHALEN c. I. pag. 84. nota hh.



busdam nomine census originarii insignitur g). Admodum probabile videtur, principes tempore foundationis urbium, tum in compensationem agri, tum in recognitionem subiectionis h), censum sibi reseruasse; quem qui antea seruilis fuerant conditionis, oneribus iam assueti, non detrectabatur, et ingenui, ut ciuica iura hoc pretio emerent, pariter, inuiti forsitan, agnouerunt.

### §. 5.

Ab his precariis antiquis et originariis, quas subditi aut ex libera voluntate, aut ex necessitate, annuatim praestitere, probe distinguendae sunt, licet nomine quodammodo conueniant, erogationes, quae auxilia, et in vernacula lingua LANDBEEDEN vocata sunt. Hae enim plane diuersum tributorum genus fuisse videntur, in eo praecipue dissimiles, quod non annuatim aut statis temporibus, sed rarius, et extra ordinem indicerentur, atque regulariter ad consensum ordinum prouincialium adstringerentur, qui licet non facile dene-

g) DE VERR. rer. Meclenb. pag. 1749.

h) Transactio Ducalis cum civitate Rostoch. de a. 1573. §. so soll auch, cet. DAV. FRANCK alt und neues Meclenb. Lib. II. cap. 12. §. 4. pag. 86.


denegaretur <sup>i)</sup>, tamen ne nimia subditi aduersus principem liberalitate exhaurirentur, in conuentu quodam expresse declarandus erat, et sub conditione litterarum reuersalium de non praeiudicando <sup>k)</sup> impetrari solebat.

Haec auxilia, vt credo, errori ansam dederunt supra notato, collectas in medio aeuo non obtinuisse, nisi extra ordinem et vrgente necessitate quadam improvisa, nec locum

<sup>i)</sup> STRUBEN observat. III. §. 6. pag. 98.

<sup>k)</sup> LÜNIG von der landsässigen Ritterschaft in Teutschland, P. I. pag. 574. OTTO et HENRICVS BAVARIAE duces, a. 1322. ordinibus provincialibus privilegia confirmantes, sic enuntiant: „Und wenn sie angesehen habent, unser anliegent Notturft, die wir jezzo gehabt haben, — — — habent sie von ihr eigen Willen, da wir doch weder Gewalt noch Recht, noch Per, von kainer Gewonheit nicht gehabt haben, uoch fürbals gehaben mögen, uns geholfen — — —“

LÜNIG c. I. pag. 667. WILHELMVS BAVARIAE dux a. 1310. litteras reuersales ordinibus dedit sequentes: — „dancben auch ander unser merklich grofs obliegende Noth angezeigt — — die obgeant gemaine unser Landschaft — — uns auf solch unser hochfleißig, und genedig ersuchen, ein dapfer und firtrefflich Stewer, und Hülff gegeben — — des sie aber uns nach Vermög und Herkommen gemainer Lands-Freiheiten, auch jüngster Erklerung so darüber ausgegangen, zu thun nicht schuldig gewesen weren.“



inuenisse, nisi consentientibus quouis casu subditis. Negligunt, qui hanc sententiam fouent, differentiam inter consagitationes s. tallias <sup>l)</sup>, SCHATT, SCHATTVNGE dictas, quotannis stato tempore, a subditis huic pensationi obnoxiiis, praecipue a seruilis conditionis hominibus praestandas, et LAND BEEDE, erogationem simplicem, auxilium, quod omnibus subditis etiam vasallis s. tenentibus imponebatur, rarius tamen postulari poterat. Idem est, quod charitatiuas ad subueniendum domino directo, iuris feudalis doctores nuncupant <sup>m)</sup>.

### §. 6.

Dispescitur iterum hocce auxilium in *legitimum*, quod lege vel consuetudine introductum, semper exigi solebat, quoties expensae certi generis principi imminerent; inque *liberum vel gratiosum*, cui casus quidam insolitus occasionem dabat. Ad hanc posteriorem classsem primis temporibus refer-

<sup>l)</sup> DV FRESNE gloss, voce Tallia; a laterculis ligneis, bacillisve similibus, calcis nuncupatis, in quibus, caesuris subinde aliquot solutiones exarabantur; parte altera penes dominum, altera penes tenentem, cui vice apochae erat; remanente.

<sup>m)</sup> C. G. BYDER synnista obseruat, Lib. 2. Obf. 2. §. I.

referebatur <sup>u)</sup> magnum aes alienum, quod principes ad subditorum subsidia confugere cogebat <sup>e)</sup>, sequenti autem aetate ad alteram classem transiit.

*Legitimi auxilii*, praecipue tres, in scriptoribus medii aevi, et diplomatibus, tam Germaniae, quam vicinorum regnorum, recensentur casus: nullus enim dubito, prouocare ad testimonia, a vicinis regnis Gallia Angliaque in hac re petita <sup>f)</sup>, cum Anglo-Saxones, Germanicae originis populus, instituta patria per omne medium aeuum fere seruarent; et Galliae mores eiusdem temporis <sup>g)</sup>, insignem adferant vsuum in eruendis Germaniae institutis.

Concedebatur scilicet,

1) Cum princeps filium primogenitum militem faceret, quae caerimonia, quum secundum medii aevi mores magno apparatu et splendore fieret, non leues sumtus exigebat.

2) Ad redimendum e captiuitate principem.

3) Si

<sup>u)</sup> DV FRESNE c. I. voce auxilium.

<sup>e)</sup> PÜTTER histor. Entwicklung der heutigén Staatsverfassung des deutschen Reichs, 2 Th. pag. 275.

<sup>f)</sup> Contendit contrarium SEIP diss. cit. (§. 3. not. h.) Sect. V. §. 8.

<sup>g)</sup> PÜTTER teutsche Reichsgesch. in ihrem Hauptfaden, pag. 15.



3) Si filiam promogenitam nuptui collocaret; quod vero saepius de filia primo elocata, non praecise de primogenita r), intelligendum.

Memorantur quidem piures casus, quorum intuitu, subditi principem adiuuarunt; veluti iter maritimum s), terrae emptio, nuptiae domini †), aedificatio aut. resectio castri. Verumtamen istae tres species regulariter recensentur, quando de auxiliis legitimis quaestio incidit, reliquae rarius occurrunt. Obiter moneo feudalibus collectis a vassallis praestandis, quoque annumeratas fuisse, quae ornatui domini directi eiusque familiae inserviunt r).

## §. 7.

r) DV FRESNE in gloss. Tom. I. pag. 407.

s) CHASSANEYS consuet. ducar. Burgund. rubr. I. §. 4. pag. 103. vbi: „le droit de indire, imposer et leuer ayde en quatre cas. „C'est à sçavoir: pour voyage d'oultre mer, nouvelle chevalerie, „mariage d'une fille seulement, et pour la rançon du seigneur.“

†) A. F. GLAFFEY comm. de vera quondam Ministerialium indole, pag. 196.

r) BYDER in symmictis c. 1. §. 2. STRUBEN Nebenstunden, Tom. 2. pag. 359.

## §. 7.

Missis auxiliis ad filii primogeniti militiam, et ad redimendum e captiuitate principem, alisque, quorum vberiore expolitionem instituti ratio haud patitur, ad eam speciem, quae memoriam precariarum prouincialium, urgente singulari ratione, extra ordinem exactarum, hucusque seruaui, collectas scilicet filiarum illustrium elocationi inseruientes <sup>u)</sup>, nobis *Fräuleinsteuer* dictas; nostroque adhuc aeuo, viridi in Germania viget obseruantia, me conuerto.

Quae haecenus consulere licuit scripta, hanc materiam tractantia, notionem iustam haud suppeditant; quum alii neglecta origine et primaria indole, superfluam operam aggressi sint, vt subditis originariam ab ista collectatione libertatem, rationibus iuris publici vniuersalis, et iuris Germanici antiqui, parum concludentibus, vindicent; alii contra tantummodo per longam exemplorum seriem, obseruantiam totius Germaniae vniuersalem demonstrare sategerint †).

<sup>u)</sup> DE WESTPHALEN mon. ined. Tom. IV. praef. pag. 13.

†) G. H. HINÜBER exercet: de iure statuum S. R. G. I. dotis subfidia filiarum illustrium a subditis exigendi per obseruantiam stabilito, Francof. 1756.



Spicilegium itaque mihi adhuc concessum esse arbitror, ut ex iis, quae originem, atque iura huius generis collectarum spectant, praetermissa quaedam adhuc conquiram. Non quidem ignoro, explicationi omnibus numeris absolutae imparem me fore: ab iis tamen, qui difficultates huius argumenti perspectas habent, meque in loco degere perpenderit, ubi subsidiorum copia nondum collecta est, veniam tentaminis me impetraturum spero.

### §. 8.

Originem harum collectarum generaliore, supra quidem iam indicaui: commemorandus interim adhuc est nexus, quo feuda iisdem primitus obnoxia facta videntur. Scilicet Vasalli praeter seruitia militaria, ad alia quoque seruitia, ut vocant honoraria vel aulica adstringebantur, quibus debitam domino directo reuerentiam in solennitatibus testabantur<sup>2)</sup>. Aderant diebus festis, nuptiis filiarum dicitis, verum etiam sumtus suppeditasse videntur, quatenus ordinarios principis superarent reditus. Vtrum ministerialium pristina conditio, postea in nexum feudalem conuersa,

<sup>2)</sup> G. L. BOEHMER princ. iur. feud. §. 242.



versa, simul praestationis causam praebuerit, an seruitiorum quorundam redemptio, occasionem dederit; affirmare non audeo: facilis interim postea sine dubio fuit extensio ad alios, licet primam originem in obligatione vasallitica quaeras. Coniecturam adiuuant tum nomen collectarum charitatiuarum, tum antiquiora quae mihi obuenerunt exempla, vasallorum expressam mentionem iniicientia, tum denique priuilegia quaedam, vasallis immunitates a collectis tribuentia, quae auxilium hoc maritaggi filiae illustris disertis verbis excipiunt. Vnicum hanc in rem documentum afferam, patrio solo natum; diploma ») NICOLAI VII. domini de Werle, Vasallis exemptionem ab omni exactione a. 1285 tribuens;

» — preterea nostros vasallos sepe dictos — — protesta-

»mur presentibus, ab omni exactione petitionis iure perpet-

»ualiter liberos et exemptos; *tali autem conditione ex eorum*

»*consensu proprio interposita*; si diuina fauente gracia, nos aut

»nostros heredes in posterum contigerit matrimonium con-

»TRA:

») LVNIG corp. iuris feud. Germ. Tom. II. pag. 1545.

LÖPP *DE WESTPHALEN* mon. ined. Tom. IV. pag. 949. *Feststehender — — Grund der Steuerfreiheit der Mecklenb. Rittersch.* im Append. docum. Num. IV. b.



»strahere, siue militarem arripere dignitatem, et si festa hec  
 »per nos vel per nostros heredes fuerint celebrata, tunc va-  
 »salli nostri de quolibet manso, cultura tamen eorum excepta  
 »duos solidos nobis dabunt, si vero filiarum nostrarum aliqua  
 »desponsata fuerit, ad tale festum de manso quolibet, nobis  
 »quatuor solidos erogabunt. Vt autem nostra hec feudalis  
 »collatio nostris vasallis fidelibus — — maneat inconuulsa —  
 »praesentem paginam ipsis dedimus sigilli nostri munimine  
 »roboratam — — — Actum et datum Sprentz, anno do-  
 »mini MCCLXXXV,« — in quo praestationes de mansis  
 occasione festi propter filiae desponsationem inter feudales  
 collationes \*) referuntur. Eadem in Gallia circa a. 1080.  
 iam obtinuisse, et ducibus a vasallis praestitum fuisse, docet  
 DU FRESNE y). Pariter in *Registro* HONORIS DE RICHMOND z)  
 simile exemplum Angliae exhibetur, ubi: — »Tenentes de  
 »Corona siue vasalli regi Angliae debuere auxilia — — ad  
 »primogenitam filiam maritandam,« —

Plura

\*) DU FRESNE in gloss. voce *collatio*, significat tributum, quod  
 ab vniuersis subditis domino confertur.

y) in glossario, Tom. I, pag. 406.


z) EYDERI *Symmicta* c. 1. §. 2.

Plura exempla conquirere, temporis angustia prohibet: si quis maiorem numerum ad demonstrandam facti veritatem necessariam iudicet, eorundem copiam haud defuturam esse persuasus sum. Maior forsitan dubitatio exorietur, circa extensionem collectarum ad reliquos subditos, nexu feudali solutos: sed hodierna rerum facies, factam immutationem abunde restatur, licet tempus et modus satis definiri nequeant. Forsan primaeva conuentuum prouincialium forma, huic extensioni occasionem dedit: tum enim temporis, in his conuentibus praecipue vasalli conuocabantur, et repetitis eiusmodi petitionibus, vel crescente earundem quantitate, partem in reliquos territorii incolas, facile deuoluere potuerunt.

### §. 9.

Erogationis ad maritajum filiae illustris vetustissimum exemplum, quod mihi obuenerit, exstat in *Statutis antiquis Angliae a. 1045 conditis*, quibus totius regni comitia ordinantur a): „Rex non solebat petere auxilium de regno suo, nisi pro guerra instante, vel ad filios suos milites facien-

a) LYCAE DACHERII spicilegium, Tom. 12, edit. prim. pag. 570.



„dos, vel *filias suas maritandas*, et tunc debent huiusmodi  
 „auxilia peti in pleno Parlamento. Et sciendum, quodsi  
 „huiusmodi auxilia concedenda sunt, oportet vt omnes Pares  
 „Parliamenti consentiant.“ —

A GVISCARDI temporibus, a. 1080. idem auxilium in  
 Gallia obtinuit *b)*. Prius Seculo XI. exemplum huius auxilii,  
 omni licet opera adhibita, inuenire haud contigit. Itaque  
 donec antiquius exemplum profertur, primam originem ad  
 hoc seculum referre liceat *c)*. In Germania exemplum Se-  
 culo XIII. antiquius haud reperi. In omnibus sane pro-  
 uinciis, dotem filiae illustri collectis prouincialibus fuisse con-  
 stitutam, affirmare non audeo, quum exempla in contrarium  
 allegari queant. Sic a. 1294. adhuc HENRICVS Dux Bruu-  
 suicensis, filiae suae ADELHEIDAE, mille marcas argenti in  
 dotem promisit, e propriis facultatibus soluendas *d)*. In alio  
 quodam casu domus Brunswicensis, dotis quidem mentio fit,  
 verum, vnde profecta sit, haud adiicitur *e)*. In principatu

Calen-

*b)* DV FRESNE gloss. Tom. I. pag. 406.

*c)* Eandem fere sententiam fouet DV FRESNE c. I.

*d)* EVDENI codex diplom. Tom. I. pag. 882.

*e)* LEIBNITII scriptor, rerum Brunswicensis, Tom. III. pag. 219.

„Hectorch WILHELM hadde veer frowen, overst mit den  
 „sul-


Calenbergensi a. 1367, dotem Agnetae, filiae ERNESTI, Ducis Göttingensis, GOTHOFREDO comiti DE ZIEGENHAIN, nuptui collocatae, ab urbibus datam esse, autor est KOCH *f*), sed testimonio ad quod prouocat *g*), non adiunatur. E contra anno 1488. iam iam *b*) a statibus prouincialibus, haec erogatio tanquam per obseruantiam introducta agnoscebatur, et voluntarii doni nomine, D. floreni soluebantur, et anno 1483. GVILIELMVS et FRIDERICVS fratres, in transactione, super communi terrarum Brunswicensium et Calenbergensium regimine inita, solitum auxilium ad elocandas filias illustres, inter iura vtrique communia referebant.

In

„den sülvén, nene menlike erven, sündér alleine thwe döchter,  
 „eine AGNETA, de ander MECHTILDA geheten. AGNETEN  
 „gaff he dem Hertogen von Sassen, (circa a. 1354.) mit enem  
 „ghar groten Brudtschatte an gelde, so tho der tidt ander Forsten  
 „nich gebrücklich.“

- f*) Versuch einer pragmatischen Geschichte des Hauses Braunschw. und Lüneburg, pag. 190.  
*g*) Braunschw. Handel, P. I. pag. 117. vbi nihil, quod huc spectat, invenio.  
*b*) SPITTLER Geschichte des Fürstenthums Calenberg, pag. 160. nota I.

Codex diplomaticus (Scheidt) worinnen die Anmerkungen und Zusätze zu v. MOSERS Einleitung in das Braunschw. Lüneb. Staatsrecht, ihren Beweis enthalten, Göttingae 1759. pag. 692.



In Bauaria, ordines prouinciales HENRICO et OTTONE ducibus, concesserunt auxilia a. 1322, ad elocandam sororem, litteraeque reuersales cum in finem datae sunt <sup>i)</sup>; idemque sequenti seculo a. 1458 <sup>k)</sup> et annis proxime subsequen-  
 tibus factum est.

Simili modo ex actis conuentus ordinum prouincialium, Marchiae Brandenburgensis, a. 1472. conscriptis, horum obligationem ad subsidia elocationis filiarum illustrium, iam probari posse, testatur MOSER <sup>l)</sup>.

### §. IO.

Commemoratu dignum videtur, priora huius auxilii in Germania exempla, documento quodam publico extra dubitationis aleam posita, in Ducatu Megapolitano occurrere.

Etenim

i) LÜDIG v. d. landfässigen Ritterschaft pag. 574. „ — — — Und „besonderlich ob unser Bruder, unser Vetter, unser Schwester, „oder unser Erben, sich beheirathen, davon sollen wir kein „Pet, Recht, noch kein gemaine Forderung, noch kainerley An- „sprach, Gute noch in Ungute kinz inn nicht haben, wenn sie für- „bafß aller Ansprach, wie die genannt ist, sollen ledig und frey „seyen.“ — —

k) LÜDIG c. l. pag. 650.

l) Teutsches Staatsrecht, P. XIX. pag. 512.

Etenim supra (§. 8.) memorato, aliud adhuc addi potest, a. 1276. <sup>m)</sup> ex quo, clericos etiam ab his collectis non omnino immunes fuisse apparet. DAV. FRANCK autumat <sup>n)</sup>, isto temporum tractu, auxilium ad filiae illustris elocationem primitus introductum esse, quia Virorum quorundam nobilium consensu, matrimonium Luitgardae filiae HENRICI Wismariensis, inritum esse traditur. Verum consiliariorum, vasallorum, et ministerialium consilio, saepe vsi sunt principes, in rebus familiam spectantibus; ac longe antiquiorem esse credo originem huius collectae, quum noui inuenti nomine haud insigniatur.

Non est quod mireris, in Megapoli citius, ac in reliquis Germaniae prouinciis, hanc petitionem inueniri, quia in ditio-

<sup>m)</sup> *Feststehender Grund* — — *der Steuerfreiheit* in Append. Docum.

Num. IV. (a). *Epitome registraturae Monasterii Dobertin, concernens priuilegium HENRICI et IOANNIS Dominorum DE WERLE:* — „Die von Adel undt die Geistlichen sollen, wann die „Herren Söhne oder Töchter ausgeben, von jeder Hufen, ausge- „nommen die sie selbst bauen, zur Hochzeit der Söhne zwey „Schillinge, und zur Hochzeit der Töchter vier Schillinge geben.“ —

<sup>n)</sup> *Alt und neues Mcklenburg, Lib. V. c. 8. pag. 60.*



ditionibus Henetorum, statim ex quo cognitam habemus earum historiam, principes territoriali superioritate praeditos fuisse constat <sup>6)</sup>.

Eodem fere tempore in vicina Pomerania, haec erogatio locum sibi vindicasse videtur <sup>7)</sup>, in hoc etiam capite, uti in aliis, a Megapoli haud absimili. HENRICVS et ADOLPHVS fratres, Slesuici duces, et Holfatae comites, a 1422. huiuscemodi censum consuetudine iam introductum esse, diplomate <sup>8)</sup> testantur.

## S. II.

<sup>6)</sup> F. A. RYDLOFF pragm. Handbuch der Mecklenb. Geschichte, Th. I. pag. 240. PÜTTER histor. Entwicklung der heutigen Staatsverf. des teutschen Reichs, Th. I. pag. 7. et 176.

<sup>7)</sup> SCHWARTZ pommerische Lehnshistorie, pag. 394. et 569.

<sup>8)</sup> DE WESTPHALEN mon. ined. Tom. IV. in praef. pag. 38. „ock sünd se uns nener Bede plichtig tho geven, sondern wann „Gott will dat wy unsre Döchtere beraden, unde geven de enen „Vorsten tho der Ehe, na Rade unser trawen Rahtgever des Landes to Holstee — — tho dessen Behuef sünd uns de Holstee „plichtig und na Gewanbeit tho geven, van enen jegliken Hoffe unde besetter is van Buhren offte Börgern achte Schillincke Pennige.“ — — Unde corrigendus MÖSER, Staatsrechte, P. XX. pag 17.



## §. II.

Serius in provinciis originis Germanicae hanc collectarum speciem reperi. Ante pactionem Tubingensem anno 1514. r) principes Wirtenbergiae, dotem filiarum ex aera. rio provinciali s) petiisse haud videntur, ipsaque obligatio et dotis quantitas, demum in recessu provinciali a. 1565. definita z), postea autem in sanctione pragmatica 1599. repetita est u).

In familia Austriaca, seculo XIII. adhuc RYDOLPHVS I. imperator, ex propriis, WENCESLAO Bohemiae regi, genero suo dotem constituit v); et seculo demum XVI. obueniunt exempla w) collectationis ad dotem constituendam imperatae.

In

r) *Wirtenbergische Landesgrundverfassung*, pag. 24.

s) I. G. BREYER *elementa iuris publici Wirtenbergici, ac Ducum privati, Tubingae 1787. Lib. III. Cap. III. Mebr. 2. § 387.*

Paulo ante enim LVDOVICVS Wirtenbergiae comes a. 1428.

ex propriis filiae ELISABETHAE dotem constituit. Cf. SATT-  
LERS *Geschichte der Grafen von Wirtenberg*, P. III, pag. 104.

t) MOSER *T. Staatsrecht*, P. XX, pag. 36.

u) MOSER *Wirtenbergia diplomatica*, pag. 339.

v) FVGGER *oesterreichischer Ehrenspiegel*, Lib. I, c. 13.

w) MOSER *T. Staatsrecht*, P. XIX, pag. 491.



In domo Anhaltina Seculo XV. prima dotis auxilia a subditis praestita commemorantur \*); eodemque tempore in Palatinatu Bipontino †), vigere inceperunt.

Luculenter exempla adducta ‡) demonstrant, non vno tempore, in vniuersa Germania, inuestam esse consuetudinem erogationis ad elocandam filiam illustrem.

Postquam in quibusdam prouinciis a subditis acceptatae essent, principes vicinarum regionum, tam fauorabile institutum imitari, sine dubio allaborauerunt, ordines nonnumquam onus detrectantes, precibus atque persuasionibus commouerunt, tandemque recessibus transactionibusque fundamentalibus, seculo praesertim XVI. initis, obligationem subditorum magis magisque stabiliuerunt, ordinum arbitrio plerumque relinquentes, qua ratione pecuniam colligere velint.

## §. 12.

\*) HESCKMANN Historie des Fürstenthums Anhalt, Th. IV. Cap. IX.

pag. 577.

†) I. N. WACHMANN Pfalz-Zweibrückisches Staatsrecht, §. 59.

pag. 73.

‡) Plura exempla, quae tamen in vsu meo connerere haud potui, adferunt HINDBER c. dist. §. 28--49. et MOSER Teutsch. Staatsrecht, P. XIX. et XX.

## § 12.

Notandum adhuc, ex iuris Germanici antiquioris principiis <sup>b)</sup>, nullam olim dotem filiabus ingenuis datam esse; quum Germanorum diuitiae, praediorum possessione constarent, et ab iis feminae excluderentur, quia seruitiorum intuitu, praedii incapaces erant. Romana dos, ad matrimonii onera ferenda destinata, tum temporis incognita erat, solo nempe marito haec onera subeunte, vxoreque tantum cum eo labores participante <sup>c)</sup>. Nequit igitur haec romanarum legum dispositio, ad primaenum patriae statum applicari; quum nulla dotis habita ratione, connubia inirentur <sup>d)</sup>, et maiores nostri paucis contenti essent.

Ex quo autem Germanis, praeter praediorum possessionem, aliae quoque diuitiae obtingerent, et feminae etiam praediorum dominium acquirere potuerunt; factum est, vt vxores ad maritum non amplius inopes accederent, sed quae-

<sup>b)</sup> DE SELCHOW elem. iur. Germ. §. 319. (440.)

<sup>c)</sup> DE LVDEWIG diff. iur. rom. et germ. in dote et donatione propter nuptias, diff. 2.

<sup>d)</sup> HEVMANN'S V. TEVTSCHENBRVNN Geist der Gesetze der Teutschen, Cap. XVI, §. I. 19.



quaecunque a parentibus acciperent, praediaque ad maritum transferrent e). Haec germanica dos maritagiū vocatur f), eumque praesertim vsum praestabat, vt mortuo marito, vxores contuenienti vidualitio g) instructae essent. Ad quam dotem germanicam, vasalli subditique subsidia quondam tulerunt, propterea a scriptoribus, et in documentis, *auxilium maritagiū* b) nuncupata, quae certissime ante iuris romani, et dotis receptionem iam praestabantur, quod in provinciis vandalicis ab Italia remotis i), adeoque serius ius romanum eiusque principia adoptantibus, cernere licet. Introducto interim iure romano, nec seruato amplius discrimine, inter dotem Germanicam et Romanam, subditorum praestationes, constituendae doti romanae plerumque inferiebant, horumque, ad certam tantum summam adstricto-

rum,

e) GUNDLING libell. de emtione uxorum dote et morgengaba, Cap. II. §. 17.

f) DV FRESNE c. I. voce maritagiū.

g) STRUBEN Nebenst. Tom. V. pag. 281.

b) RYMER acta applicana, Tom. II. P. II. pag. 79.

RYDER symmicta, Tom. II. pag. 25.

i) PÜTTER specimen iuris publici et gentium medii aevii, §. 90.

rum, parum intererat, cuinam vsui haec auxilia destina-  
bantur †).

§. 13.

Supereff, vt ex instituti ratione, adhuc de iure princi-  
pum, auxilia ad elocandas filias exigendi, et de obligatione  
fuditorum ad eadem exhibenda, quaedam adiciam.

Legibus imperii nihil de hisce collectis cautum est †);  
cuius silentii caussam, in eo quaerendam esse existimo, quod,  
priusquam imperii constitutionibus tributorum quorundam  
indoles definiretur, principum plurimi, cum ordinibus pro-  
vincialibus hac de re transegerint; et in his transactionibus,  
magna, ratione summae, et reliquarum conditionum diuer-  
sitas intercederet, adeoque regula generalis locum vix in-  
veniret.

Equidem sententiae quaedam amborum summorum  
imperii tribunalium, harum collectarum occasione latae ex-  
stant,

†) Superfluum itaque existimo differentiam, inter pecuniam pro or-  
namentis et suppellectili, *Ehegeld*, et *Fräuleinsteuer* stricte  
sic dictam, doti inseruientem; quam faciunt DE LYDOLFF et  
MOSER T. Staatsrecht, P. XX, pag. 129.

‡) HINÜBER c. l. §. 19.



stant, partim subditis obligationem imponentes, partim eandem principi denegantes <sup>l)</sup>; sed decisionis fundamento universali haud nituntur, obligationem potius particularem, aut obseruantia aut pactis introductam, supponentes. Attamen ex horum etiam tribunalium praxi, collectae filiarum illustrium elocationi inseruientes, obseruantia aut pactis semper niti debere, probabile est.

#### §. 14.

Iam pridem inter controuersias illustriores, quaestio de obligatione subditorum ad praestandum maritragium, relata est <sup>m)</sup>; ast exitu caruit disputatio, cuius decisionem, ex rationibus iuris feudalis Longobardici, aut iuris romani, derivare studebant Doctores. Repetere non placet, quae hanc in rem scripta sunt, quum obseruantia pactaque publica vnice litem dirimere possint. Alia quaeuis argumenta, v. c. principem domaniis instructum ad constituendam filiae dotem obli-

<sup>l)</sup> DE LVDOLF VET. observ. for. observ. 98. CRAMER wezlar. Nebenfund. P. 41. pag. 100. MOSER T. Staatsrecht, P. XIX. pag. 551.

<sup>m)</sup> ROSENTHAL de feudis cap. V. concl. 76 et 77. ibique alleg. DE LVDEWIG gelehrte Anzeigen, Tom. I. pag. 754.

obligatum esse <sup>n)</sup>, maximopere fallunt. Subditi obseruantia aut pactis publicis adstricti, principi etiam domaniis, aut aliis reductibus sat amplis praedito, auxilia dotis praestabunt; e contra, obseruantia pactoque non exstantibus, principi, licet aerarium eiusmodi expensis haud suppetat, subsidia haud ferent.

Pariter quum pleraeque certe Germaniae prouinciae, hanc obseruantiam antiquissimam agnoscant <sup>o)</sup>, illa certo respectu vniversalis dici potest, attamen ad alios principatus extendi nequit, quum exemplorum copia necessitatem omnibus haud imponat <sup>p)</sup>.

Accedit quod filiarum illustrium dotatione per collectas prouinciales, inter essentialia regiminis attributa connumerari haud queat.

Exceptionem, in episcopatibus Romano-Catholicis obuiam haud attigerem, nisi immunitas in secularisatis episcopatu

<sup>n)</sup> COCCII iuris publici prudentia, cap. 28.

<sup>o)</sup> HINÜBER c. l. §. 28—49.

<sup>p)</sup> In Marchia Brandenburgensi, et Pomerania vltiori, nobilibus rustici, tributum edulibus consistens soluere tenentur, quando eorum filiae, vel sorores, vel ipsi denique nobiles praediorum domini, nuptias celebrant.

I. G. GEIERT diss. de iuribus et obligationibus circa dotem, Göttingae 1784. §. II, et 12.



patibus, v. c. Bremensi et Verdenſi, poſtea perduraſſet; ſolum quantum ſcio Caminum, ſequentibus temporibus hanc obligationem agnouit *g*).

### §. 15.

Par eſt ratio quaestionis, num ſola principis regentis, an quoque apanagiati filia, huic auxilio iuſtam occaſionem praebeat. In vtramque partem diſcedunt interpretes *r*), ple- rumque licet hoc ius principi appanagiato denegent *s*).

Redit enim ſemper res, ad principia ſupra ſtabilita, conuentiones ſcilicet et obſeruantiam. Maior eſt numerus regionum, in quibus ſolius principis regentis filiabus, hoc ſubſidium conceditur, ad quas etiam reſtringitur in Megapoli *t*), et in terris Brunſuico-Luneburgeniſibus *u*). Quod etiam

*g*) LÜNIG collect. noua v. d. landſäſſ. Ritterſch. P. II. pag. 200.

*r*) ROSENTHAL de feudis c. 1. CASP. KLOCK tract. nomopoliticus de contributionibus Cap. VIII. n. 24. ERNEST. COTTMANN conſilia, Vol. IV. conſ. 3. et 4.

*s*) PET. MÜLLER de onere datandi filias illuſtres patrum apanagiatorum, Jenae 1698. §. 18 in MEIERI corp. iur. apanagii, p. 181. ſeq.

*t*) *Fuſſiſſ. decif. in cauſſ. Meclenb. Claſſ. III. T. VII. pag. 154.* Tranſactio fundam. Meclenb. de 1755. §. 115.

*u*) C. L. DE BILDERBECK delineat. iur. ſtatibus provincial. ducat. Luneburgici competentium, Cap. V. ſ. 4. in DE SELCHOW Magazin der teutſchen Rechte und Geſchichte, B. I. pag. 234—237.




etiam filiae principis regentis praemortui, deberi censeo, quum  
vita patris tanquam conditio adijci haud soleat. Caeterum  
hoc auxilium, nostris moribus, non vni tantum filiae princi-  
pis regnantis, sed et reliquis matrimonium ineuntibus, prae-  
stari solet; quamvis nonnunquam repetitum onus, benignus  
princeps populo vel haud imponet v), vel ad commodius  
tempus proferet. Principis autem regnantis nepris, licet  
pater eiusdem, princeps hereditarius aut sit, aut fuerit,  
filiabus principis regnantis equiparari nequit w), nisi in  
genere etiam principes apanagiati illud iure exigant, quod  
olim nonnulli Doctorum x) defendere non dubitarunt, et  
in quibusdam regionibus, e. g. Marchia Brandenburgensi y),  
et Ducatu Wirtembergico z), consuetudine vel pacto com-  
probatum est a).

E 2

§. 16.

- v) CASP. ZIEGLER *diff. de iure exigendi collectas ad clocationem  
filiarum illustrium*, Vitemb. 1686. §. 15.
- w) Fallitur STRVBEN *rechtliche Bedenken*, P. IV. *Bed.* 138. *argumento  
ducto* a patria potestate romana, in qua et neptes continentur.
- x) MOSER *T. Staatsrecht*, P. XX. *Cap.* 106. *Sect.* 2. §. 22—24.  
*pag.* 145—152.
- y) MOSER *c. I.*
- z) BREYER *elem. iur. publ. Wirtemb.* §. 387.
- a) Obiter moneo, principem apanagiatum, quamvis a subditis nihil  
petere queat, frustra a principe regnante, constitutionem dotis  
efflagitare, SEIP *c. diff. Sect.* VI. §. 10.



## §. 16.

Ratione modi et quantitatis, tanta adest diuersitas, vt principia quaedam generaliora adstruere haud audeam.

Plerumque eodem modo, quo reliquae contributiones, colligitur, eamque ob causam, nobilium mansi, *Ritterhusen*, ab hac praestatione immunes sunt *b)*. Quantitas maritagii, post longam super hac re diffensionem, vt plurimum definita est *c)*.

Interdum in terris diuisis, tota prouincia huic oneri ad huc subiacet, quoties vnus lineae filia conuubio iungitur, sicuti in comitatu Leiningen-Westerburg *d)*, cautum est.

Augmentum huius auxilii, speciosis licet argumentis defendatur *e)*, merito reiiicio, cum nec obseruantia nec patrum extensionem admittant.

*b)* STRYBEN Nebenstunden, P. II. Abt. IX. §. 12. et 13.

*c)* In Megapoli summa 20,000 thal. est definita, cf. *Transact. fundam. Megap.* de 1755. §. 116. In Wirtembergia filia principis regentis 32,000 flor., filia postgenitorum 20,000 flor. accipit cf. BREYER c. 1.

*d)* CRAMER wezlar, Neb. Tom. XLI, pag. 119.

*e)* HINÜBER c. 1. §. 68—72.

## CORRIGENDA.

Pag. 2. lin. 7. loco *qui* ; i. *quae*.




ULB Halle  
004 517 601

3



TA → OL **f**  
nur 1+8 verknüpf





DE  
ORIGINE ET IVRE  
COLLECTARVM PROVINCIALIVM  
AD ELOCANDAS FILIAS  
ILLVSTRES

LXXVIII.  
LXXVII

164  
25

1790, 1.

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CAPESSENDIS

DIE XXIII. FEBRVARII MDCCCXC.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBIICIT

ANDREAS BERNHARD CARL WIESE

ROSTOCHIENSIS.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

